

nuos aut interpolatos devote juxta Institutionem alias datam visitent, ad unum quodlibet Altare quinquies *Pater Noster* et toties salutationem Angelicam cum *Credo* ad intentionem summi Pontificis in Bulla expressam orent. Infirmis, quae e cella egredi nequeunt, visitationes in alias preces aut pia opera commutari possunt.

11mo. Cum Monialibus oblatae facultates de eligendo Confessario restringuntur ad solos Confessarios pro excipiendis Monialium confessionibus alias aut pro alio Monasterio jam approbatos; Nos ad eas ampliandas Vratislaviae Ordinum superioribus, per Dioecesin vero Monialium Praepositis injungimus, quatenus eisdem exponant, ut si velint, alium pro Monialibus non approbatum Confessarium sibi seligant, eumque selectum Nobis ad approbandum quam primum proponant. Confidimus tamen, quem sibi concedi humillime postulabunt, is de virtute et scientia Nobis quoque commendatus, atque in Beneficio Ecclesiastico aut religioso status officio constitutus existat. Nolumus enim, ut id, quod in favorem intendimus, ab indocto aut minus exper- to conscientiae direttore in animarum dispendium fiat.

12mo.